

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4980

Auteur(s) : Guillaume de Pont-de-l'Arche, Lisieux (doyen chapitre cathédral)

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1281, juin

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume de Pont-de-l'Arche, doyen de Lisieux, donne plusieurs biens-fonds aux religieux de Bonport.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CCCXVI, p. 324-325.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris, Guillermus de Ponte Arche, decanus Lexoviensis, salutem in Domino. Noveritis me dedisse et concessisse et in perpetuum dimisisse, pro salute anime mee, necnon et pro remedio anime bone memorie Guillelmi, quondam Lexoviensis episcopi, avunculi mei, et patris mei, et matris mee, defunctorum, Deo et Beate Marie de Bono Portu, et monachis ibidem Deo servientibus et servituris, in puram et perpetuam elemosinam, quoddam masagium cum omnibus edificiis suprapositis, sicut se proportat in longum et in latum, quod habebam in parrochia Sancti Vigoris de Ponte Arche, situm inter cimiterium et manerium presbyteri dicte ville, ex una parte, et manerium domini regis et masagium heredum Johannis Riqueut, ex altera, et abotat ad muros dicte ville per retro : tenendum, habendum et in perpetuum possidendum supradictum masagium cum edificiis suprapositis dictis religiosis et eorum successoribus, libere, pacifice et quiete, absque ulla de cetero reclamacione seu contradicione mei vel heredum meorum, salvo jure domini capitalis. Habebunt insuper dicti religiosi ordinationem estagiorum predicto manerio annexorum, in quibus solent pauperes misericorditer hospitari, et ibidem ponent pauperes ad manendum prout secundum Deum utilius decreverint ordinare. Volo etiam et concedo quod si predicti religiosi vel eorum successores super predicta donatione a me vel heredibus meis, ex quacumque parte provenientius, in aliquo foro ecclesiastico sive seculari, aut quocumque alio modo fuerint molestati sive inquietati, quod ille qui ipsos molestaverit sive super hoc inquietaverit eisdem trecentas libras parisiensium solvere teneatur. Ad majorem vero hujus rei confirmationem..... officialis Lexoviensis sigillum curie Lexoviensis, ad petitionem meam, una cum sigillo meo apponere dignum duxi.

Actum anno Domini M° CC° octuagesimo primo, mense junii.